

APOLOGIA DEMOSTHENIS.

SCRIPSIT

DR. JOH. OFFENBERG.



APPOLOGIA DEMOSTHENIS

SCRIPTA

Dr. JOH. OTTENBERG



Quandoquidem illud M. Catonis: **orator vir bonus dicendi peritus** (conf. Quint. instit. orat. lib. XI. 2) non solum sapienter et venuste dictum, sed etiam usu vere probatum iudicamus, nostra permagni referre oportet, id quod verum esse iam rei natura demonstravit Quintilianus, etiam confirmare exemplo talium virorum, quos eloquentia ceteris praestitisse inter omnes constat. Quodsi rerum gestarum historia et experientia huic sententiae adversaretur, argumentatio vel subtilissima nos non prohiberet, de veritate iudicii dubitare, quod in animo penitus insculptum sentimus. Si quis contra, cui rebus diligenter perspectis forte contigerit, ut crimina, tanquam nebulas vitae morumque splendori offusas, quodammodo diluere possit, remotis obstaculis ad virtutes ac merita recte aestimanda viam aperire et honorem famamque viri nobilis apud posteros pro virili parte tueri conatur: id cuique historiae perito erit gratum atque acceptum, benevolo hominum amico dulce ac iucundum et praeterea vel plurimum contulerit ad conservandam humanitatis ideam, quae, nisi mens, ratio et consilium cum morum praeceptis conveniant, intelligi nequit. Etenim eximiae indolis virum, qui vel arte dicendi vel regundae civitatis scientia vel rerum gestarum magnitudine floreat, si quando contra opinionem a recta honestatis via degressum cognoverimus, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem ac discordiam summopere dolemus.

Praecipue autem vobis, litterarum studiosi adolescentes, quibus tum sermonis genere tum sententiarum gravitate pulcherrima quaeque antiquitatis exempla et legenda et imitanda quotidie proponuntur, quum a vestris scriptoribus virtutem celebrari, bonum honestumque laudibus efferri, scelus et flagitium dedecore digno notari videatis, maximi erit momenti, ut eundem virum, cuius scriptis delectamini, non solum suspicere et admirari, sed etiam diligere, amare, carum habere possitis, ne misera naturae discrepantia vobis humanitatis idea disturbetur, extinguatur, evanescat.

Talem vero esse causam Demosthenis, oratorum principis, cuique satis apertum erit, qui a puero praeclara eius in re publica consilia, immutatum in dubiis rebus animum et finem vitae gloriosum praedicari audierit, deinde eius orationes, plerasque recti, pulchri verique tanquam imagines, legerit, postea nihilominus ipsius facta dictis repugnare, et ipsum non virum honestum probumque, sed patriae proditorem fuisse, a recentioris aevi scriptoribus relatum videat. Quanquam enim viri nostrae aetatis docti, in eius vita et scriptis illustrandis versati, fere omnes in eo consentiunt, Demosthenem revera non fuisse hominem tam ignavum atque imbellem, qualem Aeschines

in oratione contra Timarchum¹⁾ describit, nec tam improbum turpemque, qualem eum fuisse in oratione de falsa legatione²⁾ insimulat, quem in oratione contra Ctesiphontem ab Euboeensibus, ab Amphissensibus, a rege Persarum, quin ab ipso Philippo pecunia corruptum vocat, quem Dinarchus in oratione contra Demosthenem *κατάπυστον, μαρτόν, γοήν* compellans ubique consecatur: tamen illi, alius aliam eius mores vitamque defendendi rationem ingressi, diversam quisque sententiam protulerunt.

Primo Albertus Gerhardus Becker, opere suo „Demosthenes als Staatsmann und Redner. 1815“ optime meritis, omnes, quibus eius fama prematur, criminationes nil nisi inanes rumores, ab inimicorum calumniis profectas, a credulis aequalibus aut posterioris aevi scriptoribus temere exceptas et propagatas, esse contendit.

Ludovicus Flathe autem in libro „Geschichte Macedoniens, 1. Theil“ Demosthenem sumpsisse quidem pecuniam a rege Persarum et ab Harpalo concedit; at sumpsisse non sibi, sed patriae, firmissime asseverat.

Cui Antonius Westermann assentitur in commentatione sua: „De litibus, quas Demosthenes oravit ipse.“ Lipsiae 1834.

Ab istorum sententiis omnino abhorret Droysen in libro suo „Geschichte Alexanders des Großen“ inscripto. Namque pag. 531. scriptorum recentiorum Demosthenem ab avaritiae et proditionis suspitione liberandi contentiones pia tantum desideria arbitratus, pag. 532. Plutarchi de largitione Harpalica narrationem sequi non dubitat.

Contra Georgius Fridericus Eysell commentatione inaugurali „Demosthenes a suspitione acceptae ab Harpalo pecuniae liberatus“ Demosthenem in re quidem Harpalica omni culpa vacare, defendit.

Talis igitur quum sit de hac re illorum dissensio, ut sententiae in partes fere contrarias discedant, controversiam, quae minime iam diremta, sed adhuc sub iudice est, retractandi et, si fieri possit, de novo illustrandi periculum nec levis momenti nec facile factu esse apparet. Ut vero consilium, sine opinione praeiudicata quaestionem habendi, ab initio susceptum persequamur, nobis opus erit ad ipsos historiae fontes reverti, ut cunctis veterum scriptorum testimoniis investigandis, componendis et examinandis rem tractandam, si non omnino, tamen aliquantulo quidem propius ad finem adducamus.

Quanquam autem multa et varia Demostheni ab inimicis obiiciuntur, singula quaeque crimina duobus tamen vitiis, a Plutarcho³⁾ etiam nominatim relatis, continentur, avaritia corruptelaque et ignavia ac timiditate.

Disputatio nostra igitur ita instituenda erit, ut iis criminibus, quae in tanta rerum antiquitate non iam reperiri et diiudicari possint, aut ab eius adversariis obiter tantum iacta omni prorsus auctoritate careant, aut per se omnino levis sint ponderis,

¹⁾ Aesch. c. Timarch. p. 165. ed. Reiske. — ²⁾ p. 209. 324. ed. R. — ³⁾ Vit. Dem. c. 13. 14.

omissis, tum temporis, tum gravitatis eorum ordine, quoad eius fieri potuerit, servato, disseramus:

1. De lite Midiana.
2. De crimine praevaricationis in causa Phormionis.
3. De auro Persico.
4. De Harpali muneribus.
5. De ignaviae ac timiditatis opprobrio.

I.

DE LITE MIDIANA.

Midias, ex nobili patriciorum genere oriundus, opibus et divitiis aequae ac temeritate et audacia praepotens, Demostheni, ex diuturno iam tempore maledicta, lites, insidias parare conatus, postremo in magnis Dionysiis publico choragi munere fungenti coram omnibus impias manus intulit. Quod quum, praevia querela (*προβολή*) ab illo instituta, populus improbasset, Demosthenes hoc praeiudicium (*καταχειροτονίαν*) nactus adversus Midiam orationem scripsit, qua fere tota id agit, ut facinus istud non solum iniuriam sibimet illatam (*ὑβρίαν*), sed scelus in civitatem et deos commissum (*ἀσέβειαν*) esse demonstraret. Litem institutam Demosthenes postea omisit, acceptis triginta minis, ut ait Aeschines, eum tum aliis locis¹⁾ acerrime increpans, quod ignominiae et turpitudinis notam mercede semper tulerit, tum adv. Ctesiph. p. 441. quod triginta minis et suae iniuriae vindictam et populi praeiudicium vendiderit.

Sed fac, verum esse, quod hic de triginta minis pro actione omittenda numeratis commemoratur, — quis vero omnibus conviciis, probris, maledictis in oratione contra Ctesiphontem coacervatis credat? — iam Plutarchus²⁾ de eadem hac criminatione longe aliter existimat. Quippe ex Demosthenis severitate et mentis pertinacia colligit, non propterea eum ab actione intenta destitisse, quod istam acceperit pecuniae summam, sed quod fieri non posse cognoverit, ut ipse, homo iuvenis et novus, cuius fama in republica nondum percrebuerit, adversus Midiam, divitiis, facundia, amicorum copia maxime munitum, causam obtineret.

Recte iudicasse Plutarchum argumentis hisce ex ipsa Demosthenis oratione desumptis etiam confirmatur.

¹⁾ D. f. l. p. 270 — c. Ctesiph. p. 607. 608. ed. R. — ²⁾ Vit. D. c. 12.

1. In initio ipse Demosthenes dicit, magnis pollicitationibus, ne litem amplius persequeretur, se tentatum nec precibus nec minis adversarii cessurum esse,¹⁾ et postea aliquot magistratibus nominatis, qui publice laesi pecunia numerata cum inimico in gratiam redissent, suam rem longe aliter se habere testatur, **quod ipse munera nec acceperit nec appetiverit.**²⁾

2. Tota oratione, ut supra dictum est, Demosthenes prolati et testimoniis et legibus et oraculis id potissimum agit, ut Midiam non solum contumeliae, sed impietatis reum faciat et istam causam non privatam (*διετηρ*), sed publicam (*γραφήν*) esse ostendat. Quae ratio si valuisset, Midiae mulcta non ipsi accusatori solvenda, sed in ærarium referenda fuit; hanc vero pecuniæ iacturam pro salute publica facere Demosthenes non dubitat, quod uno quidem loco³⁾ aperte profitetur.

3. Atticorum autem legibus, quæ causa sit publica, quæ privata, parum distincte definitum fuisse, vel ex iis conici licet, quæ adversarius multis verbis contra dicturus a Demosthene inducitur et accuratius etiam confutatur.⁴⁾ Litem publicam autem instituere eo periculosius erat, quod leges de una eademque re iam transacta actionem iudicio iterum tradi vetabant; itaque accusatori causa semel perditâ non amplius ad litem privatam accedere licebat, sed præterea, nisi quintam suffragiorum partem nactus esset, calumniator mille drachmis damnabatur.⁵⁾

4. Nimiam potentiam et protervitatem ferocis inimici etiam Demosthenes ipse sæpius perstringit, alios quoque Atheniensium Midiae insolentiam, sociorum multitudinem et opes veritos partim sedate et patienter tulisse, partim necessitate coactos litem omisisse, nonnullos etiam utilitatis causa ei reconciliatos esse dicens.⁶⁾

Re tam dubia igitur et ancipiti implicatus Demosthenes, si una ex parte evitare vellet imminens discrimen, cum lite publica simul omnia perendi, altera ex parte autem actionis temere omisssæ infamiam immerito subire nollet, nequaquam potuit, quin, si qua pactione fieri posset, litem cum adversario componeret. Itaque Midiae identidem deprecanti litem condonavit pecuniæ summa, quanti haud scio an lis privata æstimanda fuerit. Si quem etiam nunc accepta pecunia offendat, eum denuo admonitum velim, ne omnia, quae nostris moribus non conveniant, apud Græcos inhonesta ac turpia fuisse arbitretur. Etenim cuiusvis iniuriæ homini privato illatæ pœnas luere solebant mulcta, quam delicti reus non reipublicæ, sed ei, quem violasset, ipsi tanquam culpæ confessionem et honoris ac famæ piaculum solvere debebat. Quod institutum civitatis legibus sancitum quum homines venales et sordidi re quidem vera millesies quæstui habuissent, calumniatores et sycophantas, qualis Aeschines fuit, occasionem oblatam, Demosthenem in suspicionem aviditatis et avaritiæ vocandi, non prætermisisse manifestum est.

¹⁾ Dem. c. Mid. p. 515, ed. Reiske. — ²⁾ p. 527. — ³⁾ p. 524. — ⁴⁾ p. 522—527. — ⁵⁾ p. 529. ⁶⁾ p. 521. 560.

Ergo, etiamsi Aeschinis verba sequamur, Demosthenis istam agendi rationem propter conditionem iudiciorum legumque vitiosam, propter ea, quæ illis temporibus homines de honesto rectoque sentirent, et propter singula, quæ casu et fortuito obvenerunt, omnino probandam esse censeo.

II.

DE CRIMINE PRAEVARICATIONIS IN CAUSA PHORMIONIS.

Plutarchus vit. Dem. c. 15. init. eum primo vituperat, quod causarum actor adversus Timotheum orationem, quæ fuit de ære alieno repetundo, pro Apollodoro scripserit — pro eo scilicet viro, contra quem postea aliquando causam egerit, aliam quidem et pro accusatore alio, exceptionem pro Phormione dico. Eius verba sunt: *Λέγεται δὲ καὶ τὸν κατὰ Τιμοθέου, τοῦ στρατηγοῦ, λόγον, ᾧ χρησάμενος Ἀπολλόδορος εἶλε τὸν ἄνδρα τοῦ δολήματος, Δημοσθένης γράψαι τῷ Ἀπολλοδώρῳ,*

Criminatio inanis sane et frigida, quæ nisi antiquorum intelligi nequit institutis et moribus, quibus in qualibet causa forensi patronus scribere et dicere solebat tantum pro amico et contra inimicum. Quodsi Demosthenes, ævi sui erroribus et temerariis opinionibus contemptis, nec tempori nec personæ inserviens, cuique sine discrimine, amicus an inimicus esset, patroni officia præstiterit, quid ei vitio verti possit, equidem non video. Neque commemorarem tam parvi ponderis convicium, nisi inde eluceret, qua ratione Plutarchus criminationem aliam, eamque multo graviolem et explicatu difficiliorem iudicaverit, quam priori ita subiungit: *καθάπερ καὶ τοὺς πρὸς Φορμίωνα καὶ Στέφανον, ἐφ' οἷς εἰκότως ἠδόξεσε. Καὶ γὰρ Φορμίον ἠγωνίζετο λόγῳ Δημοσθένους πρὸς τὸν Ἀπολλόδορον, ἀτιχνῶς, καθάπερ ἐξ ἐνὸς μαχαιοπωλίου, τὰ κατ' ἀλλήλων ἐγχειρίδια πωλοῦντος αὐτοῦ τοῖς ἀντιδίκοις.*

Cuius rei haec ratio est: Pasio, mensarius dives, duobus filiis, Apollodoro et Pasicle, relictis, moriens Phormionem, quem antea manu miserat, tutorem Pasiclis, filii natu minoris, testamento instituit et ei matrem eorum viduam dicta dote uxorem dedit. Fratres patrimonium inter se dividunt, mensa et scutorum officina exceptis, quas ad certum quoddam tempus Phormio a Pasione conduxerat. Fratrum uterque locationis semissem quotannis accipiebat, donec et has diviserunt, ita ut officina Apollodoro et mensa Pasicli obtingeret. Sed posteaquam matre mortua huius quoque hereditatem partiti sunt, Apollodorus Phormionem arcessit, ut qui nonnulla, quæ ipsorum sint, retinuerit. Sed arbitrorum intercessione factum est, ut Apollodorus acceptis quinque

drachmarum milibus cum Phormione transigeret. Nihilominus postea Phormioni actionem iterum intendit de pecunia sibi etiamnunc debita (*δέλην ἀφορμῆς*), Phormio autem oratione a Demosthene scripta ei exceptionem opponit, legem adducens, de causa iam transacta in aliquem denuo agere vetantem et ostendit, mensam non habuisse pecuniam peculiarem Pasionis. Apollodorus quum Stephani cuiusdam testimonio victus causa cecidisset, aliam ius suum persequendi viam ingressus, duobus, quæ exstant, in Stephanum testem orationibus (*Κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυρίων*), a Demosthene, ut fertur, scriptis, testimonium istud esse falsum, simul testamentum patris a Phormione confictum totamque rem commentitiam esse nititur.

Primo orationem istam pro Phormione sine dubio a Demosthene esse scriptam, id quod Aeschines¹⁾ diserte dicit et Plutarchus quoque simpliciter affirmat, quin a Demosthene ipso actam esse, si Dinarchum²⁾ audiamus, iam e perspicua sermonis dispositione et forma dicendi egregia apparet. Sed quæritur, quomodo interpretanda sint verba Plutarchi: *τοὺς πρὸς Φορμίωνα καὶ Στέφανον (λόγους)*. E structura verbi ἡγωνίζετο primo quidem adspectu intelligitur, Plutarchum hic de orationibus loqui, quæ tempore quamquam non eodem, quo exceptio Phormionis, habitæ, tamen proximo vel continuo sequantur. Eiusmodi revera adversus Stephanum, quas supra iam attulimus, duæ in promptu sunt, quæ quum arctissime cum illa oratione cohæreant, ne minimam quidem dubitationem relinquunt, quin l. l. eas ipsas in mente habeat Plutarchus. Utrum autem solummodo eas, an quamcunque aliam, qua Apollodorus ad Demosthenis pro Phormione exceptionem statim responderit, hæc est altera quæstio. Num igitur talis oratio contra Phormionem singularis vere scripta vel habitæ est, et, si ita sit, num eam scripsit Demosthenes?

At vero, ne certis testimoniis, quæ vel aiant, vel negent, omnibus destituti ad ultimam rationem, ipsius nempe Plutarchi dubitationem (*λέγεται*) urgendi, confugiamus, id saltem e rei natura pro certo statuere licet, Apollodorum, Atheniensem virum, qualis quidem ex reliquis orationibus a Demosthene pro eo scriptis cognoscatur, et ingenii acumine præstantem et artibus litterisque perpolitum, turpiter patrocínio uti noluisse eiusdem oratoris, qui paulo ante acerrimis opprobriis vitam moresque ipsius coram iudicibus tam graviter reprehendisset³⁾, contra autem fieri non potuisse, quin Demosthenis inimici, qui eius operam forensem non ignorarent, prævaricationem tam flagitiosam et atrocem dictis quam plurimis et maxime amaris ubique castigarent. At Aeschines uno loco⁴⁾ eam rem leviter tantum attingit, ceteroquin nusquam de oratione pro clientelarum adversario facta loquitur, sed alio loco⁵⁾ tantum in transitu iacit, Demosthenem Phormioni mercede orationem scripsisse eamque Apollodoro Phormionem capitis accusanti prodidisse, et in oratione Ctesiphontea, vasta illa maledictio-

¹⁾ D. f. l. p. 328. — ²⁾ Cf. Din. c. D. p. 74. ed. Reiske. — ³⁾ Cf. Dem. except. pro Phor. p. 956. ed. Reiske. — ⁴⁾ C. Tim. p. 143. — ⁵⁾ D. f. l. p. 328.

rum congerie, semel tantum et obiter quidem in describenda Demosthenis vita dicit, Demosthenem e trierarcho causarum actorem factum male audisse, tum quod patrimonium luxuria profuderit, tum quod adversariis orationes (pro ipsius clientelis scriptas) prodiderit.¹⁾ Et Dinarchus, infestissimus ille et maxime acerbus, in oratione sua Demostheni tantum obiectat, eum ex paupere causarum scriptore et causidico, qui mercede lites oraverit, ut pro Ctesippo et Phormione et multis aliis, in ditissimorum civium ordinem emersisse.²⁾

Sed etiam, quae prior fuit quaestio, num talis oratio unquam exstiterit, ne certo negare verear, orationis primae adversus Stephanum initio adducor, ubi Apollodorus, se ad exceptionem Phormionis ne respondendi quidem facultate impetrata a iudicibus repulsum, quin etiam ad mulctam solvendam esse damnatum,³⁾ ipse queritur.

Hisce igitur quaestionibus praemissis et absolutis, verba Plutarchi non ad orationem aliquam adversus Phormionem separatam spectare, sed tantummodo ad orationes adversus Stephanum testem iam supra laudatas esse referenda liquet, nisi forte earum argumentum disputationem nostram labefactare videtur. In iis autem Apollodorus duas res convincere studet, Stephani testimonium, quo oppressus litem contra Phormionem institutam perdidit, esse falsum, et patris testamentum a Phormione esse suppositum. Itaque iis revera Phormionem potius, quam Stephanum petit; quapropter etiam Plutarchus alio, qui huc pertinet, loco⁴⁾ duos tantum adversarios, Phormionem et Apollodorum, nominat, id quod interpretationem nostram verborum Plutarchi luculenter comprobatur.

Hanc igitur coniecturam si veram esse ponimus, etiamsi, quod neque Aeschines neque Dinarchus contendit, hasce orationes a Demosthene esse scriptas, concedamus, tota res controversa commutatur. Quum enim causa iam amissa lis ad finem esset perducta, neque Atticis legibus de eadem re iam transacta denuo in aliquem agere liceret, Apollodoro, si de iure suo decedere nollet, lites obiectum quod dicunt, prorsus fuit convertendum, ut res integra iudicibus decernenda proponeretur. Quodsi Apollodorus etiam paulo post primam litem amissam actionem novam institueret, tamen nonnullum tempus interiectum fuisse, priusquam ea iudicio vere tradita esset et oraretur, vel ex iis, quae de prioribus actis forensibus in orationis primae contra Stephanum exordio satis longe exponuntur, et ex singulis, quae in ea obscure iaciuntur,⁵⁾ colligere possumus. Quomodo autem hoc temporis intervallo nova ista argumenta, rationes, documenta improbitatis perfidiaeque Phormionis Demosthenes invenerit, quibus rebus factum sit, ut sententia sua de lite, quae adhuc pendebat, mutata, dum actio forensis progrediretur, in alteram partem sibi esse transeundum et contra

¹⁾ C. Ctesiph. p. 563. — ²⁾ C. Dem. p. 74. — ³⁾ Cf. orat. in Stephan. I. p. 1103. ed Reiske. —

⁴⁾ Cf. Plut. comp. Demosth. cum Cicerone c. 3. — ⁵⁾ p. 1103. *Λόγον δ' ἐναντιῷ διδόνς ἐύρισζω τοῖς δικάσαι μὲν τό τε πολλὴν συγγνώμην οὖσαν, κ. τ. λ.*

clientem pro eius adversario hanc causam separatam esse agendam duxerit, id haud ullius scriptoris testimonio illustrari non minus dolendum est, quam quod desunt testes, quorum auctoritate nixus Demosthenem istas orationes fecisse censeat Plutarchus. Quod vero Apollodorus hac nova actione id unum agebat, ut ius suum contra Phormionem sibi vindicaret, et Phormio igitur atque Apollodorus in eadem causa longiore, si vocem latiore sensu accipiamus, adversarii (*ἀντίδικοι*) esse non desinebant, etiam mirum quantum in Demosthenem, salvo caudidici honore, quadrare concedo asperam illam gravemque comparisonem cum gladiatorum officina, ex qua adversarii arma, quibus inter se proelientur, promiscue desumunt.

Quae quum ita sint, equidem sine ulla dubitatione crediderim, Plutarchum rursus opinionibus Graecorum angustis iudicasse, et hanc rem ab illa, quae initio prolata est, nihilo discrepare, quam quod illic Demosthenes causam egerit solum pro inimico accusante, hic autem simul contra accusatum amicum.

III.

DE AURO PERSICO.

Suspicio iam nobis moveatur necesse est, quod, quotiescunque Demosthenem a rege Persarum mercede conductum fuisse clamant et oratores et historici, tamen facta ad probandum crimen perpauca eaque valde incerta proferunt. Apud Plutarchum in vita Demosthenis unus tantummodo locus exstat, qui exempli gratia huc trahi posse videatur. Nam ubi mira Demosthenis opera foedus illud Athenienses inter et Thebanos factum et terribilem Graeciae manum Philippo oppositam esse disseruit (c. 20.), regem Persarum, quum huius rei fama ad eius aures pervenerit, satrapibus orae maritimae misisse dicit pecunias, omnium maxime Demostheni suppeditandas, per quem Macedonum consiliis occurrere possint; litteras et tabulas de pecuniae summa Demostheni data confectas Sardibus postea reperisse Alexandrum.

Quidquid de veritate huius narrationis iudicandum est, de qua non alius rerum gestarum scriptor quidquam memoriae prodidit, Plutarchi quidem verbis in medio relinquitur, ista pecuniarum largitione quid spectaverit Persarum rex, utrum earum illecebris oratorem impellere, an earum subsidio adiuvare voluerit ad agendum contra Philippum. Neque enim infitiamur, Demosthenem, populi principem, cum rege Persarum inisse societatem, fecisse pacta, icisse foedus, ut, exhausto Atheniensium aera-

rio, pecunia, rerum gerendarum nervo, accipienda Philippo adversaretur. Quae quidem rei publicae regundae ratio simplex et a lucri studio aliena minime vituperanda erat, quippe quum extrema necessitas cogeret, hostem istum sempiternum gentis Graecorum adversus hostem in praesentia multo graviolem auxilio vocare, id quod antea iam Lacedaemonii et Thebani sui tantum ipsorum commodi causa fecerant.

Sed tamen illud Plutarchus voluisse videtur. Etenim c. 12. tradit, factum esse, ut Demosthenes causa Graecorum strenue defendenda et libere in concionibus loquendo non solum in Graecia suspiceretur, a Philippi sociis metueretur, sed etiam a Persarum rege coleretur (*θεραπεύεσθαι*), et c. 13. τὸ καθαρῶς ἕλαστα πράττειν in eo desiderat, et paulo post, c. 14. eum teste Demetrio adversus dona non omnino firmatum, Philippi Macedonumque quidem auro non captum, sed auro, quod Susis et Ecbatanis veniret, aditum concessisse, quin eo superfluum fuisse dicit. Huc adde, quod apud Plutarchum in vita X. oratorum ¹⁾ legimus, Demosthenem etiam aurum sumpsisse ab Ephialte quodam, qui legatione ad Persarum regem functus inde clam pecuniam attulerit, qua oratoribus distributa bellum adversus Philippum conflaret, atque, ut tradant, Demosthenem ipsum privatim daricorum tria milia dono accepisse. Etiam Iustinus ²⁾ Demosthenem magno auri pondere corruptum opinatur et Diodorus Siculus ³⁾ propterea ipsa Aeschinis verba, quae ab aliis pro argumento corruptelae Demosthenis statui dicit, ex oratione c. Ctesiph. affert.

Apertum igitur est, quo ex fonte hausta sint tum opinio Demetrii apud Plutarchum, cuius ipsae voces χρυσίῳ κατακεκλυμένος auctorem produnt, tum ea, quae ceteri scriptores relata referunt, ex Aeschine ipso. Aeschines autem compluribus locis de auri cupiditate et avaritia non solum universe obiurgat Demosthenem, sed in oratione adv. Ctesiph. etiam corruptum nominat ab Euboensibus, Amphissensibus, quin ab ipso Philippo, et praeterea a rege Persarum quinque aliis locis, quorum tres, p. 563. 602. 647. nomen Persici auri modo perstringunt et duo reliqui tantum ad rem aliquam certiore referri possunt. Quippe p. 544. obiter iacit, Demosthenis corruptelam et aurum regum Thebanos perdidisse, quibus quidem verbis quid sibi velit Aeschines, nondum clare perspicitur, sed obscure tantum largitionem aliquam ante Thebarum excidium factam significare videtur, quemadmodum etiam Scholiasta intellexit.

Alter locus reperitur p. 632. sq., quo singula, ut gesta sunt, aliquanto copiosius exponuntur. Hic enim primum Aeschines, societatem illam ante pugnam Chaeroneensem Thebanos cum Atheniensibus inisse non opera Demosthenis, sed necessitate coactos, docere studet gravi argumento, ex agendi ratione ducto regis Persarum, qui quum in rebus secundis ad preces Atheniensium superbe responderit, postea in angustiis ver-

¹⁾ Cf. Plut. vit. X. orat. p. 164. 165. ed. Tauchn. — ²⁾ Cf. hist. lib. XI. 2. — ³⁾ lib. XVII. 4. „Νῦν μέντοι τὴν δαπάνην ἐπικέκλυεν αὐτοῦ τὸ βασιλικὸν χρυσίον· ἔσται δὲ οὐδὲ τοῦτο ἰζαρόν· οὐδείς γὰρ πώποτε πλοῦτος τρόπου πονηροῦ περιεγένετο.“ (Cf. Aesch. c. Ctesiph. p. 663.)

satus ultro trecenta talenta dono miserit. Eius verba haec sunt: ὁ γὰρ τῶν Περσῶν βασιλεὺς, οὐ πολλῷ πρότερον χρόνῳ πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου διαβάσεως εἰς τὴν Ἀσίαν, κατέπεμψε τῷ δήμῳ καὶ μάλα ὑβριστικὴν καὶ βύρβαρον ἐπιστολήν· ἐν ἣ ἴα τε δὴ ἄλλοι καὶ μὴ ἀπαιδεύτως διελέχθη, καὶ ἐπὶ τελευτῆς ἐνέγραψεν ἐν τῇ ἐπιστολῇ· ἐγὼ, φησὶν, ὑμῖν χρυσίον οὐ δώσω μὴ με αἰτεῖτε οὐ γὰρ λήψεσθε. οὗτος μέντοι ὁ αὐτὸς ἐγκαταληφθεὶς ὑπὸ τῶν νυνὶ παρόντων αὐτῷ κινδύνων, οὐκ αἰτούντων Ἀθηναίων, αὐτὸς ἐκὼν κατέπεμψε τριακόςια τάλαντα τῷ δήμῳ, ἃ σωφρονῶν οὐκ ἐδέξατο. ὁ δὲ κομίζων ἦν τὸ χρυσίον καιρὸς, καὶ φόβος, καὶ χρεία συμμάχων.

Oritur disceptatio, qua ratione ea explicanda sint. Epistolam istam, cuius mentionem facit Aeschines, si quando exstiterit, Athenas missam esse non posse apparet nisi illo tempore, quum Philippo occiso et succedente Alexandro (Olymp. 111. 1.) Demosthenes, ut bellum adversus Macedones accenderet, ad praefectos regios scripserat, Alexandrum infantem et Margitem vocans,¹⁾ et Darius a metu hostili solutus Alexandri iuventutem contemnebat.²⁾ Sed, quae sequuntur, num spectant ad eam, quam p. 544. iam leviter transiit, pecuniam ante Thebas deletas (Olymp. 111. 2.) missam, an novam aliquam largitionem, deinde (ergo post Olymp. 111. 3. saltem) recens factam?

Primum manifestum est, si Persarum rex iterum pecuniam misisset, neque Aeschinem neque ceteros Demosthenis adversarios neglecturos fuisse occasionem, id multis et disertis verbis reprehendendi. Attamen etiam Dinarchus in oratione adv. Dem. p. 14. de una tantum largitione trecentorum talentorum, eaque ante Thebarum excidium facta, loquitur; quare dubium non est, quin hoc loco cum Aeschine consentiat. Huc accedit, quod Aeschines ipse deinceps hoc regium aurum denuo attingens, facta perstringit, quae ad Thebanos proditos et illa trecenta talenta ante eorum urbem everSAM missa necessario referenda esse etiam Scholiasta confirmat. Interpretandum igitur erit: Idem ille, qui non multo ante [quam scilicet Alexander celeritate, fortitudine, prudentia Graeciae principatu potitus in communi concilio Corinthi habito omnium Graecorum summus dux adversus Persas delectus est et Darius rebus ab eo audacter gestis, ut tempestatem sibi impendentem defensione parata evitaret, saepius admonebatur³⁾] etiamtum [i. e. Olymp. 111. 1.] tali arrogantia usus erat, deinde vero (quum quidem illa rerum commutatio facta est [Olymp. 111. 2.], qua Alexandri transitus in Asiam ad evertendum Persarum regnum futurus portenderetur) circumdatus periculis tunc (ipso scilicet loquentis tempore [Olymp. 112. 3.]) sibi praesentibus (i. e. antea tantum futuris et imminentibus) ultro trecenta talenta misit, quae populus prudenter repudiavit (quippe repentino Alexandri in Boeotiam adventu a belli societate deterritus.⁴⁾)

Qua quidem interpretatione efficitur, magnam huius loci obscuritatem inde ortam esse, quod Aeschines ea, quae tempore longius distant, consulto contrahit et cum

¹⁾ Cf. Aesch. c. Ctesiph. p. 547. Plat. vit. D. c. 22. — ²⁾ Cf. Diod. Sic. XVII. 7. — ³⁾ Cf. Diod. Sic. XVII. 4 et 7. — ⁴⁾ Cf. Diod. Sic. XVII. 8.

Alexandri in Asiam transitu rebusque postea gestis confundere studet, quo nimirum, id quod in eius oratione ubique elucet, clam faveat Macedonibus et altera ex parte Atheniensibus in suspicionem adducat regem Persarum, ut qui non sua sponte, sive benevolentia sive misericordia commotus, sed necessitate coactus ita egerit.

Quam argumentationem deinde in res a Demosthene gestas ita transfert: τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ τὴν Θηβαίων συμμαχίαν ἐξεργάζετο. σὺ δὲ τὸ μὲν τῶν Θηβαίων ὄνομα καὶ τὸ τῆς δυστυχεστάτης συμμαχίας ἐνοχλεῖς ἀεὶ λέγων, τὰ δ' ἐβδομήκοντα τάλαντα ὑποσιωπᾷς, ἃ προλαβὼν τοῦ βασιλικοῦ χροσίου ἀπιστήρησας. οὐδὲ ἔνδειαν μὲν χρημάτων, ἕνεκα πέντε τάλαντων, οἱ ξένοι τοῖς Θηβαίοις τὴν ἄσραν οὐ παρέδωσαν; διὰ ἐννέα δὲ τάλαντα ἀργυρίων, πάντων Ἀρκάδων ἐξεληλυθότων, καὶ τῶν ἡγεμόνων ἐτοιμῶν ὄντων βοηθεῖν, ἢ πράξις οὐ γέγνηται; οὐδὲ πλουτεῖς, καὶ ταῖς ἡδοναῖς ταῖς σαντοῦ χορηγεῖς, καὶ τὸ κεφάλαιον, τὸ μὲν βασιλικὸν χροσίον παρὰ τοῦτο, οἱ δὲ κίνδύνοι παρ' ὑμῖν.

Itaque illud Ctesiphontis decretum ut infringat, Demostheni non solum virtutes et merita eripere, verum etiam gravia crimina affingere conatur. Sed vide, quam subdole artificiosus ille fraudium inventor veritatem corruperit. Ut scilicet istam conclusionem τὸ κεφάλαιον κ. τ. λ. quovis pignore assequatur, neque tamen oratio subito aberrare videatur, Sophistarum more vocabulo συμμαχία ambigue utitur, primum sensu singulari, deinde magis generali; quae amphibolia rerum ordinem omnino disturbat. Recte enim haesitamus, quaenam ratio intercedat inter aurum Persicum hic memoratum, quod duobus saltem annis post, proxime ante ultimum pro libertate tuenda certamen Thebanorum (Olymp. 111. 2), missum esse supra diximus, et foedus illud ab Atheniensibus cum Thebanis ante pugnam Chaeroneensem ictum (Olymp. 110. 3.), quo uno gloriatur Demosthenes. Quanquam, quum illud foedus clade Chaeroneensi fractum esset, societatem quandam inter duos populos etiam usque ad extrema Thebarum tempora mansisse concedamus.

Ad facta, quae hoc loco narrantur, ipsa quod attinet, Dinarchus quoque, ceteroquin Aeschines fere assecla, in oratione adv. Demosth. in universum quidem eadem refert, veruntamen alia aliquantum commutat, alia varietate quadam adauget, vel impudenter in maius extollit. Namque p. 9. dicit, Demosthenem et eius socios trecenta illa talenta inter se dispartitos Thebas prodidisse, tum p. 14. 15. 16, Demosthenem (non populum, ut apud Aeschinem) trecenta talenta sumpsisse a rege Persarum, ut Thebanos servaret, Arcades quidem ad Isthmum progressos esse, Macedonum legatione infectis rebus dimissa, Thebanorum autem accepta, sed Demosthenem Astylo, eorum duci, opem Thebanis iamiam laturo, decem talenta postulanti negasse; at vero p. 50. Demosthenem amplius centum quinquaginta talenta partim ex Persarum regis, partim ex Alexandri opibus accepisse; ergo, deductis viginti illis Harpalicis, loco septuaginta istorum, quae profert Aeschines, summa centum triginta talentorum restaret. Huc accedit, quod quae apud ceteros scriptores legimus, criminis veritatem non probant,

sed aperte tollunt. Etenim iam Plutarchus, ¹⁾ ubi ea, quae in Graecia post interitum Philippi acciderunt, exponit, auri Persici omnino immemor, Thebanos dicit a Demosthene et Atheniensibus metu Macedonum proditos. Etiam Diodorus Siculus, ²⁾ qui istarum rerum memoriam diligentius complectitur, dicit, legatos Thebanorum missos esse ad Arcades, Eleos, Athenienses; at Peloponnesios ad Isthmum consedissee, regem adventurum manentes, Athenienses autem cunctabundos domi rerum eventum expectasse, et postea, ³⁾ Graecos auxilio venire ausos non esse Thebanis, utpote perniciem temere et manifesto sibi molientibus. Imo, teste Plutarcho, ⁴⁾ Demosthenes ipse legatus ad Peloponnesios missus revera muneribus datis, ne Alexandro contra Thebanos opem ferrent, iis persuasit, et alio apud Plutarchum ⁵⁾ et apud Diodorum Sicul. ⁶⁾ loco Thebanis etiam arma dono dedisse traditur.

Alibi autem nusquam in Aeschinis oratione certum aliquod factum significatur. Nam verba p. 663. *νῦν μέντοι τὸ βασιλικὸν χρῆσιον ἐπιπέλλουκεν τὴν δαπάνην αὐτοῦ*, supra iam ascripta, non ita intelligenda sunt, ut iis res quaedam nova contineatur, sed tempore praesenti actionis perfectae verbi *ἐπιπέλλουκεν* nisi illa *ἐβδομήζοντα τόλαντα* non respiciuntur. Demostheni enim luxuriam exprobrans „Nunc quidem,“ „inquit“ „regium aurum eius sumptibus superfusum est,“ etc.

Quia igitur neque altera largitio regis Persarum, sive Atheniensium populo, sive Demostheni, eius principi, facta reperiri potest, neque ullum corruptelae Demosthenis documentum apud Aeschinem aut Dinarchum exstat, illud unum autem aversae pecuniae crimen ⁷⁾ falsum redarguimus, ea, quae Plutarchus vit. D. l. l. de litteris et tabulis Sardibus repertis, et vit. X. orat. l. l. de Ephialte quodam et de tribus subinde daricorum milibus narravit, omni prorsus auctoritate carent et alicunde videntur ficta esse.

IV.

DE HARPALI MUNERIBUS.

Apud Plutarchum vit. D. c. 15. legimus, non multo post litem de corona a Demosthene gloriose obtentam Harpalum, gazae custodem Alexandri, quum luxuriae et multorum facinorum sibi concius grave supplicium ab rege metuerit, ex Asia Athenas aufugisse, cum navibus thesaurisque populo se traditurum; tum ceteros oratores, eius

¹⁾ Vit. D. 23. — ²⁾ Lib. XVII. 8. — ³⁾ Lib. XVII. 10. — ⁴⁾ Cf. pseph. 1. in calce libelli de vit. X. orat. — ⁵⁾ Vit. Dem. 23. — ⁶⁾ Lib. XVII. 8. — ⁷⁾ τὸ προλαβεῖν quoniam alibi nusquam, quod pecuniam suppresserit Demosthenes, sed, quod pecunia corruptus sit, τὸ δωροδοκεῖν, τὴν δωροδοκίαν verbis notant inimici.

divitiarum cupidos, vehementer suasisse Atheniensibus, ut supplicem in fidem reciperent, Demosthenem autem initio quidem eos monuisse, ut Harpalum repellerent neve urbem in bellum temere conicerent.¹⁾ Diodoro Sic. teste²⁾ revera primum ab urbe exclusus, deinde, copiis conductitiis circa Tanarum promontorium expositis, ipse cum opum suarum aliqua parte Athenas supplex revertitur.

Quidquid fuit, generosus ille iuris et patriæ salutis propugnator summa sapientiæ æquitatisque laude hic iterum nominandus est. Nihilominus Demosthenem adversariorum, qui Harpali auro inhiarent, suffragiis victum et Harpalum ab Atheniensibus tandem receptum esse tum ex reliqua Plutarchi in vita Demosthenis et Diodori narratione, tum ex Plut. vit. X orat. l. l. et orat. Din. c. Philoclem p. 92. initio colligitur.

Paucis autem post diebus, Plutarchus narrare pergit, Harpalum, cuius quidem opes percenserentur, vidisse Demosthenem poculi pretiosi cupiditate incensum; itaque, quanti ponderis esset, interroganti subridentem respondisse: Tibi erit viginti talentorum; deinde ei noctu poculum cum viginti talentis domum misisse. Quare Demosthenem animo erga eum mutato postridie collum lano et tæniis bene (εὖ καὶ καλῶς — allertliebt?! —) circumvolutum in concionem populi prodisse et verba facere iussum capitatis nutu vocem sibi interclusam significasse, Atheniensium vero homines facetos exclamasse: Non faucium (συνάγγης), sed pecuniæ (ἀργυράγγης) morbo noctu tentatus est demagogus. Et quum postea multitudo, corruptione in vulgus elata, oratori se defendere volenti obstreperit, surrexisse quendam iocantem: Nonne audietis, Athenienses, eum, qui poculum (aureum) tenet?

Etiam si non aliud haberemus testimonium contra huius narrationis veritatem, quam quod in fine eius auctorem laudat Theopompum, maledicentissimum illum et Demosthenis et Atheniensium populi, tamen iam ex ipsis rebus ridiculis et fabulosis, quam parum verisimilis ea esset, haud obscure pateret. Quod vero Plutarchus in vit. X orat. ab ea omnino recedit, Dinarchus in oratione c. D., ad iracundiam iudicium inflammandam acerrima, viginti talentorum toties memor, poculum aureum ne verbo quidem perstringit et ceteri scriptores rem totam silentio transeunt, Plutarchi narrationem nil nisi merum inventum hominis dicacis et malevoli esse mihi quidem persuasum est. Athenienses igitur, addit Plutarchus, Harpalum ex urbe eiecerunt, sed metuentes, ne opum ab oratoribus direptarum rationem reddere cogerentur, omnes domos diligenter perlustrari iusserunt, una excepta, in qua mulier recens nupta habitabat.

Quæ domorum perquisitio num vere instituta sit, quum aliorum testimonia desint, omittamus; attamen Harpalum Athenis dimissum esse, apud Diodorum l. l. refellitur et apud Plutarchum vit. X orat., qui teste Philochoro refert, Atheniensibus Antipatro, qui interea per legatos Harpalum sibi tradendum exposcebat,³⁾ iamiam cessuris obstitisse Demosthenem et decretum tulisse, ut quam summam pecuniæ Athenas allatæ

¹⁾ Cf. Plut. vit. Dem. l. l. et vit. X orat. p. 160. — ²⁾ Lib. XVII. 108. — ³⁾ Cf. Diod. Sicul. l. l.

Harpalus indicasset, ea in acropoli deponeretur; deinde Harpalum e carcere aufugisse in Cretam aut Tænarum; quo facto Demosthenem corruptionis argutum esse, quod neque pecuniarum numerum, neque custodum socordiam detulisset.¹⁾ Inde sequitur, Demostheni tum pecuniarum in arce deponendarum, tum ipsius carceris, in quo retinebatur Harpalus, summam custodiam esse mandatam, quod munus in præsentia non minus difficile et anceps, ac propter fidem, quam populus ei habebat, honestum erat.

Sane enim hucusque Demosthenes non solum, id quod decet populi ducem, civitatis regundæ peritum, rei publicæ munia obiit prudenter et sedulo cuncta, sed etiam civem patriæ amantem virumque æquum et iustum se præbuit. Initio enim, quamvis dolose contradicerent vulgi turbatores, novarum rerum cupidi auroque venales, Athenienses a societate cum Harpalo ineunda et prava et rei publicæ periculosa dehortatus est, postea vero, quum consilia eius proba per homines fraudulentos ad irritum cecidissent, Antipatri ultioni et vindictæ, sicut illi mutatis partibus,²⁾ obicere noluit eum, qui antea Athenienses fovisset³⁾ et nunc in eorum clientelam se contulisset.

Itaque, licet Antipatrum offenderit, tum honorem et decus civitatis, tum fidem et iustitiam erga Alexandrum servavit. Eius adversariis autem omnibus, qui vel mercede conducti a Macedonum partibus starent, vel Demosthenis inimici implacabili odio in eum flagrant, vel sceleris conscii aliorum criminatione suam ipsorum culpam celare vellent, opportuna occasio se obtulit, rationes quascunque a Demosthene initas in suspicionem adducendi, varios fingendi rumores, spargendi commenta, mendacia, calumnias, quæ a levi Atheniensium populo avide arrepta et divulgata posterioris ævi historicis sive malignis sive nimis credulis materiem uberrimam præbebant eiusmodi fabularum, qualem iam supra protulimus historiunculam de angina simulata et poculo aureo.

Quum vero Harpalus demagogorum largitione corruptorum opera etiam ex vinculis evasisset, numquid mirandum est, quod inimici in unum omnes subito irruerunt, tandem aliquando tempus iam diu expectatum venisse rati, quo, quem ictum Demosthenes post cladem Chæroneensem tam fortiter repulerat⁴⁾ et e certamine de corona superior digressus in ipsorum caput retorserat, eum certo eventu penitus ei infligerent? Harpalum enim pecunias distribuisse inter strategos et oratores, nemo ignorabat, rei publicæ famam et salutem in summum discrimen esse adductum, Demosthenem ipsum, et opum depositarum et hominis custodiæ præfectum, facinoris conscium auctoremque esse iam quisque clamitabat.

Quum populus deinde ira et furore incensus in omnes, qui corruptionis suspecti essent, inquirendum esse decrevisset,⁵⁾ Demosthenes ultro rogationem tulit, ut senatus Areopagitarum rem cognosceret et corruptelæ convicti pœnas luerent,⁶⁾ atque adeo ipse supplicium subiturus, si ullius ab Harpalo accepti muneris coargueretur,⁷⁾ nimis

¹⁾ Cf. Plut. vit. X orat. l. 1. — ²⁾ Cf. Plut. vit. Phoc. c. 21. — ³⁾ Cf. Diod. Sic. lib. XVII. 108.

⁴⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 21. Dem. de coron. p. 309. 331. ed. Reiske. — ⁵⁾ Cf. Din. c. Dem. p. 5.

⁶⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 26. — ⁷⁾ Cf. Din. c. Dem. p. 7. 70.

scilicet sperans, quandoquidem alia salutis et existimationis defendendæ ratio non relinquebatur, fore ut ab isto quidem foro, quod olim tum gravitatis et constantiæ tum æquitatis et iustitiæ fama floreret, integritas sua probaretur.

Sed tamen Demosthenes ipse, per sex menses in criminis reos quæstione habita, primus ad populum delatus est, sive senatores, ut lenissime iudicemus, quum idonea argumenta deficerent, sensu tantum incerto et fluctuante movebantur, et his præsertim turbulentis temporibus, quibus rei publicæ fundamenta eversa et subruta essent, suspiciosi in partem peiorem sententiam suam tulerunt, sive vero, quod magis verisimile est, factionis adversariæ illecebris, pretii ab Antipatro promissi dulcedine et metu Macedonum præpotentium capti civem innocentem prodiderunt.

Decem deinde *συνήγοροι*, qui Demosthenem publice accusarent, a populo creati, quorum nomina partim attulit Plutarchus vit. X orat., omnes fere erant Demosthenis inimici, a quibus Areopagitas quoque ad condemnandum eum incitatos fuisse Plutarchus disertis verbis addit,¹⁾ id quod solum ad eorum auctoritatem labefactandam videtur satis esse.

Quum Demosthenes igitur in iudicium venisset, ex accusatoribus unus in eum invehctus est oratione illa iam sæpius citata, a Dinarcho, ut fertur, scripta, qua oratione civilium discordiarum tanquam imaginem vividis coloribus expressam videmus. Orator, id quod summum est, Demosthenem ab Harpalo esse corruptum, nequaquam demonstrans, continuo quasi in gyro vertitur circa inanes vociferationes: Demosthenem ipsum, ut Areopagitarum senatus rem investigaret, decretum tulisse, condemnatum esse ab Areopago, ergo puniendum esse Demosthenem; ceteroquin quoquoversus immodice evagatus quibuscunque potest obtretationis et invidiæ, metus terrorisque stimulis iudicum animos commovere studet. Quodsi, quantum coniectare licet, ea, quæ supra iam attulimus, adeo illustrissimum illud et amplissimum Areopagitarum tribunal ad sententiam inique ferendam impulerunt, quid, quæso, non timendum fuit ab levi, mobili, tumultuosa concione mille quingentorum civium, ex quibus illud iudicium heliasticum erat compositum?²⁾ Etiam peius ei accidit, quod, quum omnium primus in iudicium vocaretur, eo gravior ei iudicum ira et indignatio fuit subeunda.³⁾

Utrum Demosthenes in iudicio se defenderit, necne, certis testimoniis diiudicari nequit; orationem enim *περὶ χροσίου* iam Dionysius Halic. spuriam fuisse existimat. At, siquidem ex Atheniensium populi rebus aliis antea gestis suspicari cogimur, qua ratione iudices, furore obcæcati, in Demosthenem consuluerint, eorum potissimum sententiam sequor, qui eum omni causam dicendi facultate plane fuisse privatum arbitrantur. Nonne iam Peloponnesiaci belli temporibus, quum una nocte Athenis omnes Hermæ deiicerentur, Alcibiadis inimici id maxime egerunt, ut eum aggrederentur, postu-

¹⁾ Vit. X orat. p. 161. — ²⁾ Cf. Din. c. Dem. p. 72. — ³⁾ Cf. Din. c. Dem. p. 71.

larent, damnarent absentem? ¹⁾ Nonne iam novem illis imperatoribus, victoria ad insulas Arginusas reportata, antequam capitis damnarentur, iniuste detractum est tempus pro se dicendi legitimum? ²⁾ Et nonne ex ipsa Plutarchi fabula, cuius sub finem relatum legimus, Demostheni causam dicturo multitudinem concitatam, ne verba faceret, magno tumultu obstitisse, satis elucet, tales res contra ius et legem actas in re publica Atheniensium non fuisse novas et inauditas?

Itaque Demosthenes multa quinquaginta talentorum damnatus et, eam quum solvere non posset, ³⁾ in vincula publica coniectus est. Sed ignominiae et carceris molestiarum impatiens custodia elapsus ⁴⁾ in exilium abiit Aeginam Troezenemque, ubi sortem suam non fortiter quidem tulit, ut l. l. ait Plutarchus; attamen, quae in administranda re publica expertus sit invidiae, obtrectationis, calumniarum incommoda, identidem lacrimis prosecutus, dolorem gravem acerbumque ex iniuria sibi illata perceptum ingenue aperuit.

Non multo post, quum nuntio de Alexandri morte perlato Athenienses rursus desciscere coepissent et de foedere Graecorum adversus Macedones feriendo legatos in Peloponnesum mitterent, Demosthenes, iniuriarum oblitus, iis ultro se socium applicavit ⁵⁾ et acri sua eloquentia causam strenue egit Atheniensium. Quamobrem a populo grato publice restitutus summo cum honore in patriam revertit, ⁶⁾ sed brevi post, a Graecis apud Lamiam re male gesta, ab Antipatro exagitatus et a suis civibus indicta causa capitis damnatus veneno sumpto diem supremum obiit. ⁷⁾

Post eius mortem Athenienses viri magni memores fuerunt et psephismate Demochari supra laudato, quo virtutes et merita eius cuncta summis laudibus efferuntur, eius posteriorum maximo cuique natu coenatio in prytaneo et Demostheni ipsi statua aenea decreta est, honesto epigrammate inscripto, ⁸⁾ quin etiam nonnullis post saeculis τὸ ἀδωροδόκητον τοῦ Δημοσθένους Athenis in proverbio fuit. ⁹⁾

Quae hucusque ad Demosthenis integritatem probandam explicavi, etiam aliquot extrinsecus sumptis argumentis confirmantur. Ipse enim Plutarchus, Theopompum auctorem, ut supra docuimus, in narrando tam credule secutus, postea de cunctis criminibus, non solum in causa Harpalica, verum etiam ceteroquin in Demosthenem allatis, occulte iam dubitat. ¹⁰⁾ Sed ne ad epistolarum, quae Demostheni tribuuntur, tertiam provocem, qua, quum de reditu suo apud populum agat, iniuriam sibi illatam questus, se nullius dedecoris convictum, nullo argumento damnatum esse aperte profitetur, maximi momenti

¹⁾ Cf. Corn. Nep. Alcib. c. 3. 4. — ²⁾ Cf. Xenoph. hist. graec. I. 7. 5. — ³⁾ Cf. Plut. vit. X orat. l. l. — ⁴⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 26. — ⁵⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 27. — Diod. Sic. XVIII. 10. ⁶⁾ Cf. Plut. vit. Dem. l. l. — ⁷⁾ Cf. Plut. vit. D. c. 28. 29. — ⁸⁾ Cf. Plut. vit. Dem. 30. — vit. X orat. p. 262.

*Ἐπεὶ ἴσθην ῥώμην γνώμῃ, Δημοσθένες, εἶχες,
Οὔ ποτ' ἀν' Ἑλλήνων ἤρξεν Ἄρης Μακεδών.*

⁹⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 31. — ¹⁰⁾ Cf. Plut. comp. Dem. cum Cicerone c. 3.

sunt luculentissima testimonia Pausaniae, qui tribus locis Demosthenis mentionem facit. Primum in Atticis lib. I. cap. VIII., ubi Demosthenem in insula Calauria veneno hausto interisse refert, eum nimio patriae amore et populi potentiae studio collapsum miseratur. Tum in Atticis lib. I. cap. XXXVII. in memorandis monumentis, Harpalum cum opibus suis Athenas venisse atque ibi comprehensum, corruptis quum aliis, tum ipsius Alexandri amicis, periculum effugisse dicit. Denique in Corinthiacis lib. II. cap. XXXIII. in Calauria insula describenda sepulcrum Demosthenis commemorans fortunam bonis iniquam deplorat, quae Homerum poetam, oculis captum omniumque rerum inopia oppressum, errare per omnes prope terras coegerit, Demostheni vero iam grandi natu exsiliu experiundi et consciscendae sibi mortis necessitatem obtulerit. „Ac de Demosthene quidem,“ narrare pergit Pausanias, „multa quum ab aliis, tum ab ipso dicta sunt, ex quibus satis liquet, non cepisse ipsum ullam eius pecuniae partem, quam ex Asia attulerat Harpalus; sed qui fuerit de hac re postea sermo, hoc loco commemorabo: Ἄρπαλος μὲν ὡς ἐξ Ἀθηνῶν ἀπέθου διαβὰς ναυσὶν ἐς Κρήτην, οὐ πολὺ ἕταρον ὑπὸ τῶν θεραπεύοντων ἀπέθουεν οἰκετῶν οἱ δὲ ὑπὸ ἀνδρὸς Μακεδόνης Πανσαιῶν δολοφονηθῆναι φασιν αὐτόν. τὸν δὲ οἱ τῶν χρημάτων διοικητὴν φερόντα ἐς Ῥόδον Φιλῶξενος Μακεδῶν συνέλαβεν, ὃς καὶ αὐτὸν παρὰ Ἀθηναίων ἐξητήσεν Ἄρπαλον τὸν δὲ παῖδα τοῦτον ἔχων ἤλεγξεν, ἐς ὃ πάντα ἐπέθετο, ὅσοι τῶν Ἀρπάλου τι ἔειχον εἰληφότες· μαθὼν δὲ ἐς Ἀθήνας χρήματα ἐπέστειλεν. ἐν τούτοις τοῖς γράμμασι τοὺς λαβόντας παρὰ Ἀρπάλου καταριθμῶν καὶ αὐτοὺς, καὶ ὅσοον αὐτῶν ἔλαβεν ἕκαστος, οὐδὲ ἐμνημόνευσεν ὀχλὴν Δημοσθένους, Ἀλεξάνδρου τε ἐς τὰ μάλιστα ἀπεχθανόμενον, καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ προσκρούσας. Δημοσθένει μὲν οὐκ ἴμαί καὶ ἐτίρωθι τῆς Ἑλλάδος, καὶ παρὰ τῶν Καλαυρείας εἰσὶν οἰκητόρων.“

V.

DE IGNAVIAE AC TIMIDITATIS OPPROBRIO.

Non paucos fore arbitror, quibus mirum videatur, quod res tam levis momenti oratori nostro toties ac vehementer quidem obiecta fuerit et ab ipso Platarcho in vita Demosthenis aequae ac corruptelae crimen in maximis vitiis ponatur. Etenim adversarii opprobrio isto non ludibrium tantummodo contemtionemque Demostheni afferre, verum etiam odium et invidiam concitare student. Sed, etiamsi aliunde non constaret, quantum apud veteres animus virilis sive fortitudo (ἡ ἐνδοξία) valuerit, iam ex oratione contr. Ctesiph. abunde disceremus, quam gravem sensum verbis suis tribuerit

Aeschines. Qui quum p. 559. virtutes viri popularis (*ἀνδρὸς δημοτικοῦ καὶ σώφρονος*), oppositas vitii viri paucorum potentiae amici (*ὀλιγαρχικοῦ καὶ φιλίου*), enumerat, quantum requirit τὸ ἀνδρεῖον, ne quis in bello et periculis patriae proditor fiat. Quod quum in Demosthenem transferat, p. 561. sq. eum et ipsius Demosthenis et reliquorum sententia hominem ignavum timidumque iudicat et deinde poenas lege Solonis constitutas producit, qua lege et qui subterfugiat militiam, et qui signa deserat, et qui imbellis sit, (*ὁ στρατεύτης, ὁ λειπῶς τὴν τάξιν καὶ ὁ δειλός*), pariter ignominia et dedecore notandi sint; namque actiones talium naturae vitiorum (*φύσεως γραφῆς*) esse legitimas, ut quisque legis vindicis metu melior patriae propugnator evadat. Quodsi ita res ad rei publicae rationes referatur, utique ignavia avaritiae similis et fere propinqua habenda est, quod utrumque vitium a patriae studio aequae longe remotum proditoris fieri possit causa et origo.

Eandem fere de Demosthene sententiam etiam secutus est Plutarchus. Quamquam enim tantum abest, ut eum assiduitate et perseverantia praeditum fuisse neget, ut de Theopompi scriptoris iudicio novo et singulari miratus Demosthenem ex omnibus illius aetatis oratoribus solum sententia nunquam mutata eandem in rebus gerendis rationem, in qua ab initio steterit, per totam vitam servasse et tandem, ne desereret, animam profudisse praedicet: tamen l. l. virtutem bellicam (*ἀνδρείαν πολεμιστήριον*) ei defuisse opinatur et c. 13 eum teste Demetrio οὐκ ὄντα ἐν τοῖς ὅπλοις ἀξιόπιστον vocat. Sed videamus, num haec opinio etiam certis argumentis nitatur.

Aeschines iam in oratione adversus Timarchum l. l. ei ornatum viro non satis dignum, mollitiem timiditatemque obiter exprobrat, et de falsa legatione p. 258. eum appellat οὐδέπω ποθ' ἀψάμενον ὄπλον, et alio loco¹⁾ Demosthenem, quod signa deseruisset, postulatam quidem, sed Nicodemum accusato rem, ut actionem sibi intentam omitteret, data pecunia movisse dicit. Quae quidem criminatio iam a Demosthene in orat. c. Midiam refutatur. Athenienses enim quum Plutarcho, Euboeae insulae tyranno, auxilio profecti essent, non multo post Demosthenes, qui huic expeditioni interfuit, quum tempus Dionysiorum instaret, ad choragiae munus administrandum domum revertit. Qua occasione oblata Midias inimicus Euctemonem quendam mercede conduxit ad eam litem contra Demosthenem instituendam, sed abiecta spe, fore ut causam vinceret, utpote homo vafer et malitiosus, semper aliquid haerere haud nescius, Demosthenis nomine iuxta Eponymos publice exposito saltem eius famam labe adspergi voluit²⁾

In oratione c. Ctesiphontem eum compluribus locis non solum universe hominem imbellem timidumque et ordinum desertorem increpans vocat, sed p. 540. 644. haud dubie pugnam Chaeroneensem significat; cum quibus locis etiam congruunt verba Dinarchi p. 51., quanquam hic alio loco³⁾ eum solum ex pugna effugisse criminatur. Quod

¹⁾ De. fal. leg. p. 314. — ²⁾ Cf. Dem. c. Mid. p. 547. — ³⁾ Din. c. Dem. p. 10.

quam perperam dixerit, nemo est, qui vel mediocriter in litteris Graecis versatus non videat, quum aliquot hominum milia una cum eo terga vertisse notum sit. Sed ne minima quidem cum ignominia Demosthenem proelio excessisse iam inde colligere licet, quod cives sui ei continuo post pugnam factam non solum orationem funebrem habendam et alios quoque honores publice mandaverunt, sed etiam, quamvis atrociter inimici in foro universi in eum saevirent,¹⁾ tamen nemo eum leipotaxiae arguere ausus est. Plutarchus quidem in describenda pugna Chaeroneensi vit. D. 20. Aeschinem secutus est; veruntamen hoc loco, maxime autem in vita X orat. narrationunculas subiicit, quae ex fonte turbido haustae scurrarum nugae fabulasque maligne fictas haud dubie redolent.

Tum Aeschines²⁾ ei conviciatur, quod, quum proelio apud Chaeroneam commisso domum redisset, confestim urbe evaserit. Quod quidem Dinarchus³⁾ pro consuetudine sua auget et exaggerat, dicens, Demosthenem de industria se populo legatum obtusisse, ut urbe facilius evadere posset, et in tanta rei publicae difficultate nummaria ex aerario etiam octo talenta abstulisse etc. Ecce veritatem iterum foedissime depravatam; sine dubio enim intelligendum est iter illud post pugnam Chaeroneensem susceptum, quo Demosthenes a sociis pecunias ad bellum continuandum exegit, quam ipsam rem Plutarchus⁴⁾ adeo in eius praeclare factis numerat, quorum mercedem Athenienses ei coronas aureas donaverint.

Nec facilius denique ad credendum fuerit, quod Aeschines⁵⁾ commemorat, Demosthenem, dum Thebae obsiderentur, ut cum Alexandro de pace ageret, missum, sed timore percussum ex medio itinere subito revertisse; ad quem locum fortasse referendum est, quod cum aliqua quidem discrepantia dicit Dinarchus in or. c. Dem. p. 57. Etiam Plutarchus⁶⁾ et Diodorus Sicul.⁷⁾ istam adversariorum narrationem receperunt, quanquam hic quidem addubitat, Demosthenes utrum metuens Macedones, an a Persarum rege corruptus id fecerit.

Sed omnium huiuscemodi calumniarum origo repetenda est de gradu arduo et lubrico, quem ille in re publica administranda capessiverat; oratorem publicum enim de imperatoris officio fortasse et omni re militari pro suggestu loquentem saepenumero audiebant, sed exercitus ducem in bellum proficisci nunquam videbant, sicuti viri in re publica olim praestantes, Cimon, Thucydides, Pericles aliique,⁸⁾ magni in pace, nec minores in bello, cum laude usi erant et foro et castris. Fuerunt quidem illa tempora, quibus unus utroque, et civili et militari munere, fungeretur, sed etiamtum recens eorum memoria vigeat et redingrata est a Phocione, magno illo Demosthenis adversario, qui artem oratoriam et militarem gloriose exerceret (cf. Plut. Phoc. c. 7.)⁹⁾

¹⁾ Cf. Dem. de coron. p. 309 sqq. — Plut. vit. Dem. c. 21. — ²⁾ C. Ctesiph. p. 445. 446. — ³⁾ C. Dem. p. 56. 57. — ⁴⁾ Vit. X orat. p. 160. — ⁵⁾ C. Ctesiph. p. 548. — ⁶⁾ Vit. Dem. c. 23. — ⁷⁾ Lib. XVII. 4. — ⁸⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 13. 14. — ⁹⁾ Apud Lucianum encom. Dem. fortunatus sibi videtur

Ab hoc loco non alienum putavi adiiicere ea, quae Demosthenes ipse in oratione de corona coram populo ad huiuscemodi criminationes responderit. Qui quidem quum ignaviae crimen obiter tantum transeundo vanum absurdumque respuat,¹⁾ quaecumque, ut illis temporibus, fieri potuerint, se unum hominem peregrisse liberrime professus est. Deinde res post Chaeroneensem pugnam gestas exponit, ex quibus luce clarius efficitur, quod Aeschines eum ex urbe effugisse dixerit, ementitum et falsum esse.

Quae tum a pag. 324 usque ad orationis finem sequitur praeclara vitae publicae et privatae defensio non solum eius integritatem et innocentiam, sed etiam immutatam animi constantiam luculentissime probat. Etenim nec rebus secundis nec adversis, nec spe nec terrore se unquam ab eo, quod aequum, iustum patriaeque commodum iudicaverit, abductum esse testatus postremo pag. 331. Athenienses obsecrans, ut rei publicae administrandae curriculum a se absolutum respiciant, ne in summis quidem calamitatibus et periculis se a recta via deflexisse, vel patriam unquam deseruisse gloriatur.

At concedamus, Demosthenem naturali quodam mentis affectu vel nimio doloris sensu oppressum timiditatis vel animi mollitiae signa aliquando dedisse, sive quum olim legatorum natu minimus coram Philippo Atheniensium causam peroraret,²⁾ sive quum postea exsilium aegre et moleste ferret, id quod notavit Plutarchus vit. Dem. c. 26., sive quocumque alio tempore; veruntamen eiusmodi vel naturae vel fortunae incommoda, quae plerumque ex hominis indole et ingenio, aut ex educatione subnascuntur et ne minime quidem vivendi consuetudinem moresque tangunt, ipsa ea plus etiam valent ad vitam eius exprimentam veluti *δρῶμα* herois magnanimi, cuius res gestae virtutis specimen et exemplar generi humano proponantur. Qui quum inde a prima iam infantia orbatas sit parentibus, infami tutorum licentia,³⁾ corporis valetudine et molestiis naturae vitiorum conflictatus mira quadam vi et perseverantia extra terminos angustos egredi conatur, quos ei sors iniqua constituisse videtur, laudis gloriaeque finem sibi propositum perpetuo spectans, qui rei publicae principi et oratori futuro ante oculos obversatur. Salus publica, civium ius honosque ei siderum instar duces sunt vitae forensis. Animi magnitudo, probitas, constantia configunt cum nimiarum opum potentia, fraude, dolo, perfidia tyranni alienigenae, cum privatae utilitatis studio, segnitie, inertia suorum civium, quorum patriae amor magis magisque elanguescit et emoritur. Impari cum dira necessitate certamini robur viri ingenui et vires tandem fracta succumbunt, clade Chaeroneensi; sed animus liber et generosus, servitute ignominiaque contempta, superior discedit fato, ferreo invictus. Licet mala, vel a casu acerbo vel ab hominibus inimicis⁴⁾ profecta, in eum cuncta ingruant, eadem rei publicae admini-

Philippus, quod Athenienses virum sagacem magnanimumque suggestu et rostris contineri neque exercitui ducem praecesse voluerint, quia alioquin forsitan de ipsius et Macedonum rebus actum fuisset.

¹⁾ p. 308. 309. — ²⁾ Cf. Aesch. c. Tim. p. 165. — D. f. l. p. 219. Quamquam orat. c. Ctesiph. p. 540 Demosthenem *πρὸς τὴν ἐν τοῖς λόγοις τὸλμαν θαννασιώτατον* vocat. Cf. Plut. vit. D. c. 9. ³⁾ Cf. Orat. II. Dem. c. Aphob. s. finem. — ⁴⁾ Cf. Dem. d. coron. l. l. — Plut. vit. Dem. I. l.

strandae via, quam ab initio ingressus est, fortiter et strenue pergit.¹⁾ Populus gratus, beneficiorum memor, ei coronam auream concedit, virtute et meritis partam; adversariorum invidia et auri largitione Macedonum fit, ut vir innocens Harpali sorte implicetur. Indigno dedecore opertus, exsul patriae, in insula deserta maris Aegaei vivit, donec libertatis tuendae studium iamiam emortuum Alexandri morte denuo expergiscitur. Inter voces laetas Archontum, sacerdotum, universae civitatis senex patriae amantissimus solum natale rursus attingit et istum diem vitae suae felicissimum praedicat — sed Graeciae maiestas calamitosa apud Lamiam proelio perculsa concidit, Demosthenes in Calauriae insulae sacrario a Neptuno petit auxilium; et quum etiam iste deus ei asyllum non praeberet, tanquam ad excelsiorem aram confugit, e gladiis satellitum elapsus, per semet ipse salvus et incolumis, irrisa Antipatri crudelitate.²⁾

¹⁾ Cf. Plut. vit. Dem. c. 13. 21. sqq. — ²⁾ Cf. Plut. comp. Dem. cum Cicerone s. finem. ὅτι, τοῦ θεοῦ μὴ παρασχόντιος αὐτῷ τὴν ἀσπίδα, ὥσπερ ἐπὶ μείζονα βομῶν καταφυγόν, ἐκ τῶν ὀπλῶν καὶ τῶν δορυφόρων λαβὼν ἐαυτὸν ὄχετο, τῆς Ἀντιπάτρου καταγελάσας ἀμύτητος.



CORRIGENDA.

pag. 12 vers. 12 pro ἄλλα legendum est ἄλλα.

vers. 31 pro tunc legend. est nunc.

pag. 13 vers. 6 pro σν legend. est σι.

vers. 27 pro Aeschines legend. est Aeschinis.

pag. 14 vers. 28 pro concius legend. est conscius.

vers. 32 pro τῆν legend. est τῆν.